Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 271

Quelle:
Copyright:

posuisset *Casianum*, forte *Tatianum*, seu *Carpianum* potius, ad quem Canones suos *Eusebius* misit, ut notum. Redeunt hae Tabulae *Cod.* 125. Univ. ut supra.

CLXXXIII.

U. 77 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 503. 4. currente calamo scriptus est Expositio scholastica *Evangelii Lucae* non ultra C. IV. v. 1. progrediens, praemissa prolixa Εἰσαγωγῃ, cujus initium: *Doctrinam sapientie et discipline scripsit in codice isto. Eccl. 50. Vniuersa diuine sapientie et discipline hystoriarum nemora que vetus obumbrant testamentum* &c. Expositio ipsa *fol.* 24. incipit: *Quoniam quidem multi* &c. *Antequam ad expositionem et diuisionem huius prologi descendam, primo aduertendum, quod secundum b. augustinum* &c. Et tandem finit: *de effectu contricionis plura moveri possent, de quibus forte inferius apparebit. hec de presenti lectione.* Reapse multae Quaestiones theologicae per decursum tractantur; secus enim tam paucorum *Capitum* Expositio in hanc molem non excrevisset. Tergum Codicis manu Sec. XVII. eam *Michaeli Suchenschatz* adscribit, de quo dixi ad Expositionem *Matthaei Cod.* CLXIX.

CLXXXIV.

U. 80 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 409. 4. scriptus, ut praecedens, est illius Continuatio, videlicet a C. VI. v. *ult.* in cujus explicatione abrumpitur. Tractatio eadem est. Tergum rursus *Michaelem Suchenschatz* praefert; involucrum autem praebent Membranae quaedam e ritualibus *Hebraeorum* libris decisae, quarum anterior charactere luculento cum punctis vocalibus.

CLXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 148 Folior. 295. f. non una manu, sed bene perscriptus duabus columnis, et minio distinctus, *Collegio Ducali* obvenit testamento *M. Jodoci Hausner de Nouoforo* Juris pontif. et Artium liberal. ut praenotatur, Professoris et ad D. *Stephanum* Canonici, qui Vir inter annos 1446—64. ter supremus Academiae Moderator, teste in eadem Ecclesia Epitaphio, 29. *Dec.* 1477. obiit. Complectitur vero: I. *Lectiuram* in aliquot Capita *Evangelii D. Lucae*, quae, ut fert Rubrica, *incipitur capitulo 4°. et terminatur capitulo 11°.* Sed vel ipsum C. IV. mancum est; infit enim: *potest facere sine alterius nocumento dyabolus, ergo de persona dubitat, imo conditionaliter dicit, si filius Dei es* &c. Neque etiam C. XI. emetitur Expositio, sed sistit in v. 28.

II. *fol.* 85. *Incipit expositio Haymonis super Apokalipsym.* Ita: *Legimus in Ecclesiastica hystoria Beatum Johannem a domiciano impiissimo cesare* &c. Et finit: *et in gratia terminum poneret.* Ut saepius a me relata, et typis vulgata, v. g. *Parisiis* 1531. 8.

III.